

P A R S I I.

De actuum humanorum proprietatibus.

ACTUUM humanorum proprietates sunt bonitas vel malitia moralis, meritum vel demeritum: de quibus nunc agendum superest.

D I S S E R T A T I O I.

De actuum humanorum bonitate & malitia morali.

ACTUUM humanorum bonitas moralis generatim est eorum cum recta ratione consensus. *Rectum factum nullo modo esse potest*, inquit Augustinus, *quod non à recta ratione profiscitur.* (Lib. de utilitate credendi, cap. 12. n. 27. tom. 8. pag. 63.) Recta autem ratio vel est increata quæ in mente divina existit, & lex æterna dici solet; vel creata quæ lumen est creaturæ rationali à Deo inlitum, sive ipsa legis æternæ cognitio, quid bonum malumve, quid faciendum aut fugiendum sit indicans.

Malitia moralis generatim est actus humani à recta ratione, sive lege æterna, dissensio. Hic duo potissimum occurrunt excutienda. Primum, utrum quilibet actui humano ita necessario competat

bonitas vel malitia moralis, ut nullus sit indifferens; secundum, unde repetenda sit hæc bonitas vel malitia moralis.

C A P U T P R I M U M.

Utrum admittendi sint actus indifferentes.

ACTUS humanus spectari potest vel *in specie*, id est, ratione solius objecti, & semotis sine & circumstantiis; vel *in individuo*, & prout singularis est, habità nempe ratione & objecti, & finis, & circumstantiarum. Apud omnes certum est dari actus humanos in specie indifferentes; id est, qui neque boni sint, neque mali, si generatim duntaxat considerentur, sive ratione solius objecti quod ex se nec bonum fit nec malum; tales sunt *ambulatio*, *locutio*, &c. quæ generatim spectatæ ex se nihil habent boni vel mali: sed controversatur utrum admittendus sit actus humanus *in individuo* indifferens; id est, qui spectatus ratione objecti, finis & circumstantiarum simul, nullâ bonitate, nullâque malitiâ morali afficiatur. Qua de re sit sequens

P R O P O S I T I O.

Nullus est actus humanus in individuo indifferens.

Prob. 1^o. Actio quælibet humana in individuo spectata, fit propter aliquem finem ultimum: atqui actio hujusmodi non potest esse *indifferens*; ad illud enim requireretur ut finis ultimus ad quem spectat agens, neque bonus esset, neque malus: atqui id absurdum est; nam duplex tantum assignari potest finis ultimus actionis humanæ, ut

totiè diximus, scilicèt Deus aut creatura: atqui si voluntas operantis actionem referat ad Deum tanquam finem ultimum, bonus legitimusque est finis; malus verò erit, si voluntas in aliqua re creata, tanquam in fine ultimo, conquiescat. Nam stare in creatura sine peccato esse non potest, inquit S. Thomas. (*Supplem. quæst. 49. art. 5. ad 1.*) Ergo, sicut finis ultimus quem sibi proponit agens, vel bonus est vel malus, ita quilibet actus humanus in individuo bonus est vel malus, ac proinde nullus esse potest indifferens.

Prob. 2^o. Si nulla sit voluntas indifferens, sed quælibet bona sit aut mala, idem sentiendum est de quacumque actione libera quæ ex voluntate, ut fructus ex arbore, proficiscitur: atqui nulla est voluntas indifferens. *Mirum*, inquit Augustinus, si (voluntas) potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona nec mala sit: aut enim justitiam diligimus, & bona est; ... aut si omninò non diligimus, non bona est, sed mala & pessima. (*Lib. 2. de peccat. meritis, cap. 18. n. 30 tom. 10. pag. 56.*) Ergo pariter quilibet actus specialis à voluntate oriundus, bonus est vel malus; nullus proinde indifferens. *Cavendum est*; inquit Augustinus, ... ne sicut Philosophi, facta quædam hominum media dicamus inter rectè factum & peccatum, quæ neque in rectè factis, neque in peccatis numerentur. (*Epist. 82. n. 13. tom. 2. pag. 194.*)

Prob. 3^o. Si quis actus in individuo esset indifferens, maximè verbum otiosum quod nempe citra omnem necessitatem & utilitatem profertur: atqui ne verbum quidem otiosum dici potest indifferens, cum de eo rationem reddituri sint homines ante summi Judicis tribunal, sic testante Christo: *Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* (*Matth. 12. 36.*) Porro si de verbo otioso redditur ratio, quantò magis de operibus? inquit autor Breviarii in Psalmos quod

repetitur ad calcem tom. 2. edit. BB. operum S. Hieronymi. (*In Psalm. 16. pag. 154.*)

Dices: In Concilio Constantiensi damnata fuit hæc propositio Joannis Hus: *Nulla sunt opera indifferencia; sed hæc est divisio immediata humanorum operum, quòd sint vel virtuosa vel vitiosa; ergo vera est ista propositio contradictoria: aliqua opera sunt indifferencia.*

Resp. Dist. ant. Damnata fuit præfata propositio, eo sensu quòd omnis actio bona sit vel mala, prout sit ab homine justo vel peccatore, conc. ant. eo sensu quòd actio quælibet libera non sit bona vel mala, neg. ant.

Scilicèt contendebat Joannes Hus peccatum esse quidquid sit ab hominibus in statu peccati mortalis constitutis; omnia verò justorum opera totidem esse virtutis actus; hanc fuisse ipsius mentem patet ex iis verbis præfatam propositionem subsequen-
tibus: *Si homo est vitiosus & agit quidquam, tunc agit vitiosè; & si est virtuosus & agat quidquam, tunc agit virtuosè; quia sicut vitium, sive peccatum mortale, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.* (*Tom. 10. Conc. pag. 130. art. 16.*)

Porro propositionem eo sensu acceptam meritò damnavit Concilium Constantiense: docet enim fides injustum non semper malè, & justum non semper benè agere; justus in peccata venialia non semel labitur, sic testante Scripturà: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* (*1. Joan. 1. v. 8.*) Imò & quandoque mortaliter peccant justi, à justitiaque excidunt, sicut de Davide legimus. Fide pariter constat peccatores aliquando benè agere, adjuvante Dei gratià, priusquam justificatione donentur. Nihil autem commune habet nostra doctrina cum præfata propositione, qualis à Joanne Hus propugnata fuit.

CAPUT II.

Unde repetenda sit bonitas aut malitia moralis.

EX suprà dictis compertum est actionem non esse bonam, nisi referatur ad legitimum finem ultimum, qui non alius esse potest quàm Deus; nunc autem quæritur an, præter finem, quidquam aliud sit necessarium.

PROPOSITIO.

Moralis actuum humanorum bonitas & malitia; non solum à fine, sed etiam ab objecto & circumstantiis repetenda est.

Prob. prima pars. Illud in bonitatem & malitiam actuum humanorum influit, per quod virtutes quædam & vitia, ac proinde eorum actus, à se invicem specie distinguuntur: atqui virtutes quædam & vitia, ideòque eorum actus, à se invicem specie differunt ratione objecti circa quod versantur. Sic virtutes theologicæ à moralibus specie discrepant, quia theologicæ, qualis est caritas, Deum habent pro objecto, non autem morales, qualis est temperantia. Sic etiàm homicidium & aulterium specie distinguuntur, quia diversa sunt utriusque objecta. Cur homicidio gravius est paricidium, nisi quia aliud homicidii & aliud paricidii est objectum? Ad æstimandam igitur actuum humanorum bonitatem vel malitiam, habenda est ratio objecti circa quod versantur.

Præterea si ad pravitatem actuum humanorum

nihil conferrent ipsorum objecta, non crimen gravius esset mille numerorum, quàm unius tantum nummi furtum, si utrumque ob eundem finem, in iisdemque circumstantiis committeretur: atqui illud absurdum esse nemo non sentit; ergo, &c.

Prob. secunda pars, scilicet actuum humanorum bonitatem & malitiam à circumstantiis quoque esse repetendam. 1^o. *Vidua pauper* quæ in gazophylacium *misit duo minuta*, præfertur divitibus qui majorem pecuniam dederant: (*Marc. 12.*) atqui hæc vidua divitibus non anteponitur, nisi ratione circumstantiarum, scilicet tùm paupertatis suæ, tùm voluntatis ad largiendum propensioris; unde ipsius eleemofynæ, licet exiguæ, majus meritum accedebat.

2^o. Aliquid bonitatis aut malitiæ in actus humanos ex circumstantiis redundat, si dentur actus alii aliis pejores aut meliores, licet eundem finem idemque objectum habeant: atqui id certum est: actio, v. g. illius qui nummum in templo furatur, pejor est quàm si extra templum fieret: idem tamen est finis, idemque objectum; siquidem utrinque intenditur boni alieni possessio; furtum igitur illud in templo factum, nonnisi propter circumstantiam loci sacri in quo committitur, crimen gravius evadit. Actio pauperis alteri pauperi eleemofynam erogantis, ceteris paribus, melior est quàm actio divitis eadem eleemofynâ pauperem sublevantis: atqui in eo casu melior esse non potest, nisi propter adjunctam paupertatis circumstantiam; ergo, &c.

3^o. Si nihil bonitatis aut malitiæ actibus humanis conferrent circumstantiæ, tunc clavibus Ecclesiæ subjici non deberent, quia actionem non facerent meliorem aut deteriore: atqui tamen clavibus Ecclesiæ aliquandò subjiciendæ sunt circumstantiæ: id enim expressè definit Concilium Tridentinum de circumstantiis speciem peccati mutantibus, & rationem affert ex qua colligitur eas

etiam in confessione declarandas esse, quæ peccati gravitatem plurimum augment, ut scilicet peccata à penitentibus integrè exponantur. (*Sess. 14. de Penit. cap. 5.*) Ergo, &c.

Annotandum est verò id esse discriminis inter bonitatem & malitiam moralem, quòd ad bonitatem alicujus actionis necesse sit ut hæc tria, objectum bonum, finis laudabilis & legitimæ circumstantiæ simul concurrant; ita ut si vel unum defuerit, actio non possit esse moraliter bona, quia ex recepto axiomati, *bonum ex integra causa*; ad pravitatem verò actionis sufficit ut, vel unum ex his tribus, nempe objecto, fine & circumstantiis sit malum, quia ex altero axioma, *malum ex minimo defectu*. Hinc S. Thomas, *Quilibet singularis defectus*, inquit, *causat malum*; *bonum autem causatur ex integra causa*. (1. 2. quæst. 18. art. 4. ad 3.)

Quæres 1º. an circumstantia venialiter mala totam actus bonitatem corrumpat.

Resp. circumstantiam malam actui bono posse duplici modo adjungi; 1º. *antecedenter*, cum in actum influat tanquam causa, ut si quis jejunet ad captandam hominum laudem; 2º. *concomitanter*, ut aiunt Scholæ, quando actioni ex se bonæ & legitimæ ad finem directæ, accedit in operis decursu aliquid mali; ut si quis, inchoatò bonum in finem jejunio, gloriam inanem inter jejunandum concipiat, vel inter orandum quidpiam tædiï experiatur, aut aliquâ re distrahatur.

Jam verò si circumstantia venialiter mala in actum influat tanquam causa, tunc illius bonitatem omninò destruit, quia venit in partem objecti. Cum enim aliquis, v. g. jejunat ut gloriam apud homines aucupetur, illius actionis objectum non est jejuniùm undè spectatum, sed jejuniùm propter inanem gloriam susceptum: atqui objectum illud malum est; ergo si mala circumstantia

actui ex se bono adjuncta sit *antecedenter*, id est, tanquam causa, totam ipsius bonitatem destruit.

Si autem mala circumstantia *concomitanter* actui ex se bono, & qui ad debitum finem dirigitur, sese immisceat, tunc totam ejus bonitatem non auferit, nec omne meritum extinguit. Ita vulgò sentiunt Theologi. Si enim quælibet circumstantia venialiter mala, in ipsos etiam virtutis actus irrepens, totam eorum bonitatem perimeret, vix ullus foret actus cui subesset aliquid meriti: vix quippè ullus est in viris, etiam justis, actus ex se bonus qui vitiosâ quâdam circumstantiâ aliquantulum non inficiatur, teporis, v. g. tædiï, gloriolæ, distractionis: atqui credibile non est vix ullum in justis esse actum qui meritum quoddam sibi vindicare possit; ratio est, quòd circumstantia hæc venialiter mala non influat in actum ex se bonum, tanquam causa vel efficiens, vel finalis præcipua; sed velut actus posterior & planè diversus qui malus est, dum prior est bonus, quamvis illius bonitas alterius consortio minuatur.

Quæres 2º. utrùm actus exterior interiori aliquid bonitatis aut malitiæ adjiciat; an, v. g. actio hominis eleemosynam erogantis, melior sit interiori voluntate illius qui sincerè vult eleemosynam erogare, sed non potest.

Resp. 1º. actum exteriorem per se non augere bonitatem aut malitiam actus interni voluntatis. Scriptura enim non minùs laudat aut vituperat eos qui sincerè voluerunt aliquid facere, quàm si illud perpetrassent: sic efficacem quam habuit Abrahamus immolandi filii voluntatem, quasi in actum reverà prodiisset, Deus æstimavit: *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi*. (*Genes. 22. 16.*) Ex adverso, ut notat Augustinus, immoderata Nemrodi superbia, qui turrim usque ad cælum erigere voluit, preindè punita est ac si rem ipsam perfecisset. Unde

concludit S. Doctor meritò malum puniri affectum; etiam cui non succedit effectus. (Lib. 16. de civit. Dei, cap. 4. tom. 7. pag. 419.) Ipsemet Christus asserit eum qui mulierem aspexerit cum animo peccandi, non minùs reum esse; quàm si crimen exterius commisisset: *Omnis, inquit, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* (Matth. 5. 28.) Innuens videlicet quoad naturam & vim criminis, perindè se habere efficacem voluntatis actum & propositum, ac opus ipsum. Hæc doctrina communi sensu ita nititur, ut axiomatis loco dici soleat voluntatem pro facto reputari, ex animoque & affectu præsertim, tum benè, tum malè facta æstimanda esse.

Resp. 2°. Quamvis actus exterior in interno voluntatis actui aliquam bonitatem vel malitiam per se non adjiciat, fit tamen *per accidens* ut occasione actus exterioris, novus bonitatis aut malitiæ gradus voluntati plerùmque accedat; 1°. quia occasione actus exterioris multiplicantur actus interni voluntatis, dum inter exequendum opus externum voluntas multos elicit actus internos à quibus abstinuisset, si ad peragendum opus externum sese non applicuisset; 2°, quia actus exterior internos voluntatis actus facit magis continuos; 3°. quia per opus externum vehementiores fieri solent actus interni, propter delectationem scilicet quibusdam actibus externis adjunctam. Quapropter grates Deo sunt agendæ pro remota & sublata actus exterioris & pravi occasione; quia, eâ submotâ, tollitur etiam augendæ, continuandæ & firmandæ malæ voluntatis occasio.



DISSERTATIO II.

De Actuum humanorum merito.

ACTUS meritorii nomine intelligitur opus mercede & præmio dignum. Duplex meriti genus admittunt Theologi; aliud appellare solent *de condigno*, aliud autem *de congruo*. Utriusque discrimen ducitur ex proportionem quam habet actio cum mercede. Ubi actio æqualis est mercedi, five id habeat ex promissione divina, five ex dignitate gratiæ, tum dicitur *meritum de condigno*. Si actio non sit æqualis mercedi, vel si id tantum habeat, ut liberalitatem Dei excitare quidem possit, sed non per se exigere, tunc appellatur *meritum de congruo*. Sic contritio sincera peccatoris, divinam misericordiam excitare potest; sed propriè mereri vel exigere nequit. Bonitati quidem divinæ congruit ut respiciat ad poenitentis gemitus, dolorem & bona opera, quæ idcirco dicuntur *meritoria de congruo*: verùm hæc omnia non ejusmodi sunt, ut injustus habeatur Deus, si non respiciat. Sunt enim gemitus hominis inimici, non amici; quem justitia divina poenæ æternæ ream tenet, nondum misericordia absolvit; quem peccatum inficit, & gratia justificans nondum exornat.

Quæ ad meritum spectant tribus complectemur capitibus; in primo expendemus utrùm in homine admittendum sit aliquid meriti; in secundo, quæ conditiones requirantur ad meritum; in tertio, quodnam sit illius objectum.

CAPUT PRIMUM.

Utrum in homine admittendum sit aliquid meriti.

MERITI nomen Lutheranis & Calvinistis ita displicet, illud penitus rejiciant tanquam superbiam redolens, doceantque hominem nihil apud Deum mereri, quia nihil ab homine exit, quantumvis perfectio, quod non sit aliqua macula inquinatum. Ita Calvinus. (Lib. 3. Instit. cap. 15. sect. 3.)

PROPOSITIO.

Homo per gratiam operans verè & propriè meretur.

Probatur 1^o. ex Scripturis in quibus dicitur Deus bonis Justorum operibus mercedem rependere. Abrahamum sic loquitur: *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* (Genes. 15. 1.) *Ne verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* (Eccli. 18. 22.) *Merces vestra, inquit Christus, copiosa est in cælis.* (Matth. 5. 12.) *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* (1. Cor. 3. 8.)

Itaque Deus, teste Scripturâ, bonis Justorum operibus mercedem est redditurus: atqui merces non potest esse sine merito, illudque supponit; ergo fide certum est Justorum operibus verum inesse meritum. Quinimò illud vocabulum Calvino tantoperè exosum adhibet Scriptura: *Misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum.* (Eccli. 16. 15.)

Præterea quod justitiæ titulo debetur, & à

Deo, tanquam justo judice, rependitur, id sanè meritum propriè dictum demonstrat: atqui vita æterna bonis operibus ex justitia debetur, & à Deo, veluti æquo judice, tribuitur, ut sic docet Apostolus: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt adventum ejus.* (2. Tim. 4. v. 7. & 8.) Ergo, &c.

Prob. 2^o. ex Patribus. Præceptis (Dei) obtemperandum est, inquit S. Cyprianus, ut accipiant merita nostra mercedem. (Lib. de unit. Ecclesiæ. pag. 199. edit. Baluz.) Justus, ait S. Ambrosius, scit sibi coronam bonorum esse repositam meritorum. (Serm. 7. in Psalm. 118. n. 16. tom. 1. p. 1049.) Nullane sunt merita Justorum, ait S. Augustinus? sunt planè, quia justii sunt..... sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors; ita merito justitiæ, tanquam stipendium, vita æterna. (Epist. 194. n. 6 & 20. tom. 2. pag. 717 & 721.) Atqui in iis & aliis passim locis, SS. Patres verum bonis Justorum operibus meritum attribuunt.

Prob. 3^o. brevissimâ hâc ratione theologicâ: Christus ex fidei nostræ Symbolis, venturus est judicare vivos & mortuos: atqui nullus esse potest huic judicio locus, si nulla sint hominis merita; ut sic observat Augustinus: *Si non sunt merita, quomodo Deus judicabit hunc mundum?* (Epist. 214. n. 4. tom. 2. pag. 792.) Sapienter igitur à Concilio Tridentino sic definitum est: *Si quis dixerit hominis justificati bona opera, ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita,.... anathema sit.* (Sess. 6. de justificat. Can. 32.)

Solvuntur objecta.

Objiciunt Novatores: 1^o. Omnia Justorum opera sunt peccata, siquidem cupiditate inficiuntur; ergo nihil mereri possunt.

Resp. Neg. ant. Numquid enim mala sunt opera quorum Deus ipse est *merces magna nimis*? atqui Deus ipse est operum Iusti *merces magna nimis*, ut testatur Abrahamo, *Genes. 15. 1.* Numquid mala sunt opera quæ bona esse prædicat summa veritas? *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, inquit Christus, *ut videant opera vestra bona.* (*Matth. 5. 16.*) Nonne bona opera in homine agnoscit Apostolus? *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* (*2. Cor. 5. 10.*) *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum.* (*Rom. 2. 10.*) Hinc Synodus Tridentina sic pronuntiat: *Si quis in quolibet bono opere iustum saltem venialiter peccare dixerit; aut, quod intolerabilius est, mortaliter..... anathema sit.* (*Sess. 6. de justificat. Can. 25.*)

Obj. 2^o. Illa merita fictitia sunt, quæ Christi meritis derogarent: atqui hominis merita derogarent Christi meritis; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Falsum quippè est hominis merita quidquam detrahere Christi meritis; siquidem totam vim suam habent à Christi meritis & gratiâ, sine quibus nulla essent. Quemadmodum enim Deus in ordine naturæ suam omnipotentiam manifestat, nedùm obscuret, dùm causis secundis efficaciam tribuit; ita infinitum mortis Christi pretium in eo maximè elucet, quòd non sibi tantum, sed & nobis merendi sit principium. Hinc illud Augustini: *Nihil aliud coronat Deus quam munera sua,* (*Epist. 194. n. 19. tom. 2. pag. 720.*) Hinc etiam Concilium Tridentinum: *Ipsè Christus Jesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos jugiter virtutem influit; quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo gratia & meritoria esse possent.* (*Sess. 6. cap. 16. de justificat.*) Definant igitur Pseudo-Reformati Catholicorum doctrinam vellicare, quasi meritis Christi derogaret.

Obj. 3^o. *Cum feceritis*, inquit Christus, *Omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: quia servi inutiles sumus.* (*Luc. 17. 10.*) Ergo per opera nostra nihil meremur.

Resp. Neg. conseq. Præfata verba non sic intelligenda sunt, ut omnis meriti semper expertes simus, quod manifestè pugnat cum aliis Scripturæ locis, quæ bonorum operum merita passim adstruunt; sed accipienda sunt, juxta vulgarem loquendi modum, quo servum inutilem dicere consuevimus, dum hæc tantum facit quæ sibi præcepta sunt, nec pro domino suo quidquam aliud operatur. Interpretationem hanc confirmant verba statim subjuncta: *Quod debuimus facere, fecimus.* Præterea eo sensu intelligi possunt Christi verba, quòd nostrum obsequium, nostraque opera nihil utilitatis Deo conferant. Nostra enim in observandis Dei præceptis diligentia, nobis quidem plurimum prodest; minimè autem Deo cui debemus cum Psalmista dicere: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* (*Psal. 15. 25.*) Unde Job hominem sic compellat: *Quid prodest Deo, si iustus fueris? aut quid ei confers, si immaculata fuerit via tua?* (*Job. 22. 3.*)

Obj. 4^o. *Gratia autem Dei vita æterna*, inquit Apostolus; (*Rom. 6. 23.*) ergo vita æterna non datur ut meritorum merces, & præmium.

Resp. Neg. conseq. Nihil enim dicere vetat, vitam æternam esse gratiam simul & mercedem; 1^o. gratia est, quatenus ad eam Deus gratuitò eligit, vocat, & auxilii efficacibus, aliàs indebitis, perducit. *Sine ulla dubitatione confitendum est*, inquit Augustinus, *ideo gratiam vitam æternam vocari, quia meritis redditur quæ gratia contulit homini;* (*Lib. de corrept. & grat. cap. 13. n. 41. tom. 10. pag. 773.*) 2^o. Autem dicitur merces, quia rependitur bonis operibus, auxiliante gratiâ factis: *Debetur merces bonis operibus, si fiant*, ait Concilium Arafricanum II; *sed gratia quæ non*

debetur, præcedit ut fiant. (Tom. 4. Conc. p. 1670. Can. 18.)

Obj. 5^o. Ad meritum de condigno requiritur ut opus nostrum mercedi respondeat : atqui nullum hominis iusti opus mercedi, id est, vitæ æternæ, respondet. Unde Apostolus : *Non sunt condignæ*, inquit, *passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* (Rom. 8. 18.) Ergo, &c.

Resp. Dist. min. Nullum hominis iusti opus in se consideratum respondet mercedi, cont. si spectetur prout est gratiâ informatum & meritis Christi conjunctum, neg. min.

Iustorum quidem opera in se tantum spectata, non hujus sunt dignitatis quæ mercedi respondeat. Id enim quod in præsentem est momentaneam, & leve tribulationis nostræ, ... æternum gloriæ pondus operatur in nobis. (2. Cor. 4. 17.) Sed eadem hæc opera, licet per se finita & levia, vim quamdam infinitam trahunt, tum ex meritis Christi undeveniunt & suam mutuatur dignitatem, tum ex gratiâ quæ fit in *Iustis fons aquæ salientis in vitam æternam.* (Joan. 4. v. 14.)

C A P U T II.

De Conditionibus ad meritum requisitis.

CONDITIONES ad meritum requisitæ, partim ex agente, partim ex opere ipso, partim ex Deo remunerante ducuntur ; quæ omnia ut speciatim exponantur, sit

PROPOSITIO I.

Ad meritum sive de condigno sive de congruo, requiritur ex parte agentis ut sit viator ; id est, in hac mortali vitæ peregrinatione positus ; ad meritum autem de condigno, præterea necesse est ut agens sit in statu gratiæ sanctificantis.

Probatur prima pars. 1^o. Ex Scripturis : *Quodcumque facere potest manus tuâ instanter operare ; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos quod tu properas.* (Eccle. 9. 10.) *Ante obituum tuum operare iustitiam.* (Eccli. 14. 17.) *Venit nox,* inquit Christus, *quando nemo poterit operari.* (Joan. 9. 4.) Ibi per noctem intelligit mortem. Unde sic admonet Apostolus : *Dum tempus habemus, operemur bonum.* (Galat. 6. 10.) Atqui iis Scripturæ locis apertè denuntiatur, post mortalem hanc vitam nihil acquiri posse meriti.

Prob. 2^o, ex Patribus. S. Cyprianus : *Quando istinc excessum fuerit, inquit, nullus jam penitentiæ locus est, ... hinc vita aut amittitur, aut tenetur.* (Lib. ad Demetrium versus finem, p. 224. edit. Baluz.) S. Hieronymus : *Tempus sementis, tempus est præsens, & vita quam currimus ; ... cum ista vita transierit, operandi tempus aufertur.* (In cap. 6. Ep. ad Galat. tom. 4. part. 1. pag. 313.) S. Augustinus : *Nemo speret, quod hinc neglexerit, cum obierit, apud Deum promereri.* (Enchir. cap. 110. n. 29. tom. 6. pag. 238.) Cui finitima est hæc S. Prosperii sententia : (n. 172.) *Frustrâ sibi homo post hoc corpus promittit, quod in hoc corpore comparare neglexerit.* (Lib. sentent. ex Aug. in append. pag. 234.) Porro ibi nullus est merito locus, ubi aufertur tempus operandi, & spes promerendi ac comparandi quod neglectum fuerit : atqui post mortalem hanc vitam, juxta SS. Patres aufertur tempus, &c. Ad meritum ergo sive de condigno,

five *de congruo*, requiritur ut homo sit viator. Hujus autem conditionis nulla afferri potest ratio præter voluntatem Dei, qui præsentem vitam labori & merito, futuram autem quieti & præmio destinavit.

Prob. secunda pars 1^o. Illud requiritur ad meritum *de condigno*, sine quo vitam æternam promereri non possumus: atqui sine gratiæ sanctificantis, sive justitiæ statu, vitam æternam demereri nemo potest; hæc enim promittitur in Scripturis ut hæreditas quæ ad solos Dei filios pertinet: *Si filii, & hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, inquit Apostolus. (Rom. 8. 17.) Atqui soli Justi sunt filii Dei; ergo soli vitam æternam promereri possunt, ac proinde ad meritum *de condigno* requiritur status justitiæ.

2^o. Quia absurdum est eundem hominem vitam æternam simul & damnationem mereri: atqui id contingere poterit, si gratia justificans ad meritum *de condigno* non sit necessaria. In hac enim hypothefi idem homo in peccato mortali constitutus, vitam æternam demereri poterit, & tamen æternâ damnatione simul dignus erit, ut potè Dei inimicus, & poenæ æternæ obnoxius; quod manifestam involvit contradictionem.

3^o. Quia sic pronuntiat Deus: *Si... averterit se justus à justitia sua, ... omnes justitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur*; (Ezech. 18. 24.) id est, delebitur quicquid meriti per bona opera priùs comparaverat: atqui si peccatum mortale subsequens omninò perimat merita priùs acquisita, multò magis impedit ne novum *de condigno* meritum obtineatur; ergo, &c.

PROPOSITIO II.

Ad meritum quodcumque tria requiruntur ex parte actûs: primum, ut sit liber à necessitate; secundum, ut bonus & honestus; tertium, ut ex gratia prodeat.

Prima pars ex iis constat quæ diximus, ubi de libertate hominis lapsi disputatum fuit.

Prob. secunda pars: 1^o. *Reddet unicuique Deus*, inquit Apostolus, *secundum opera ejus, iis qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* (Rom. 2. v. 6 & 7.) *Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ.* (Joan. 5. 29.) Porro in ea tantum opera cadit meritum *de condigno*, quibus solis vitæ æternæ præmium Scriptura promittit: atqui præmium illud solis operibus bonis Scriptura promittit; ergo, &c. Præterea in actu nihil potest esse meriti, sive *de condigno*, sive *de congruo*, nisi laude sit dignus, ut ex se patet: atqui solus actus bonus laude dignus est; ergo, &c.

Prob. tertia pars. 1^o. Quia nisi actus ex gratia actuali prodierit, non potest esse verè ex omnique parte bonus; *nulla quippè facit homo bona*, inquit Concilium Araucanicum II, *quæ non præstet Deus ut faciat homo.* (Can. 2. tom. 4. Concil. pag. 1670.) *Prorsus, si defuerit (Dei adjutorium) inquit Augustinus, nihil boni agere poterit homo.* (Tom. 5. pag. 755. serm. 157. n. 12.) 2^o. Opus quodcumque sine gratiæ actualis auxilio factum, ex solis naturæ viribus proveniat necesse est: atqui actus hujusmodi nihil mereri potest quod pertineat ad salutem; alioquin initium salutis solis naturæ viribus, sibi que vindicare homo posset; quod in Semipelagianis damnatum est.

PROPOSITIO III.

Ad meritum de condigno requiritur ex parte Dei pactum & promissum de mercede rependenda.

Ut propositionem hanc stabiliant Theologi, ea Scripturæ & Traditionis loca proferre consueverunt, in quibus vita æterna dicitur benè operantibus promissa: quale est istud: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam accipiet coronam vitæ, quam repromissit Deus diligentibus se. (Jacob. 1. 12.)* Hujusmodi sunt etiam ista Concilii Tridentini verba: *Benè operantibus usquem in finem proponenda est vita æterna tanquam merces ex ipsius Dei promissione ... fideliter reddenda. (Sess. 6. cap. 16. de justificat.)* Sed non satis ad rem pertinere videtur hæc probatio. Ex præfatis enim testimoniis id unum sequitur, nempe vitam æternam benè agentibus fuisse à Deo promissam. Quà de re hic non agitur, sed quæritur utrùm hæc Dei promissio ita sit necessaria, ut, eâ sublatâ, potuisset Deus vitam æternam iis non rependere, qui benè operati sunt. Contendit enim *Vasquez*, ad remuneranda bona opera eo ipso Deum obligari, quòd gratiam contulerit quâ facta sunt; ita ut, etiamsi nullâ promissione sese obstrinxisset Deus, bonum tamen opus propter ejus dignitatem, non posset mercede & præmio fraudare. (*In 1. 2. disput. 224.*)

Probatur nostra propositio 1^o. ex Concilio Senonensi an. 1528: *Faciet tandem misericordia locum unicuique, juxta meritum operum suorum, non absolutâ condignitate; ... sed gratuitâ magis & liberali repromissione. (In decreto fidei, cap. 16. tom. 14. Concil. pag. 459.)* Atqui si bona opera, citra ullam Dei promissionem, vitam æternam merebantur, hæc absolutæ eorum condignitati potius rependeretur, quàm ex gratuitâ Dei repromissione.

Prob. 2^o. Meritum de condigno in Deum inducit remunerandi hominis obligationem; qui enim præ-

riè meretur, jus habet id obtinendi quod meritas est; unde Apostolus ait: *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ: (2. Tim. 4. 8.)* atqui Deus, ut supremus omniū Dominus, non potest hominis debitor fieri, nisi ex parte ipsius præcesserit pactum aliquod & promissum, per quod ultrò sese obligaverit ad præmium pro hoc vel illo opere nobis tribuendum. *Debitorem*, inquit Augustinus, *Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo. Non ei dicitur: Redde quod accepisti, sed redde quod promissisti. (In Psal. 83. n. 16. tom. 4. pag. 889.) Debitor factus est (Deus) non à nobis aliquod accipiendo, sed quod ei placuit promittendo. (Serm. 158. n. 2. tom. 5. pag. 761.)*

Prob. 3^o. Ad meritum de condigno ea requiritur conditio, sine qua nihil juris esset homini ad vitam æternam obtinendam: atqui sine Dei promissione homini nihil esset juris, &c. Homo enim per quodcumque opus bonum nihil Deo reddit, quod ipsi non debeat, aut saltem quod Deus non possit innumeris titulis exigere, creationis, v. g. conservationis, supremi in res omnes creatas dominii; ergo, &c.

Quod verò spectat ad meritum de congruo, ad illud non absolutè requiritur divina promissio; ad ipsum enim satis est ut actus aliquam in se bonitatem habeat, cujus intuitu excitetur Deus ad beneficium quoddam homini impertiendum: atqui actus potest esse hujusmodi; etiamsi tale beneficium à Deo non fuerit promissum. Diximus verò non absolutè ad meritum de congruo requiri promissionem divinam, ut eam aliquando intervenire significarem: Deus enim peccatori pœnitenti veniam sic promittit: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vitâ vivet, & non morietur. (Ezech. 18. 21.)*

Dices: Opus malum pœnâ dignum est, citra nullum Dei pactum; ergo pariter actio bona mercedem promeretur sine ullo Dei pacto.

Resp. Neg. conseq. & paritatem. Homo enim ; dum peccat, Deum sibi non facit debitorem, sed potius Deo divinæque justitiæ debitorem se constituit : ubi autem agitur de merito, Deus ipse fit debitor, in eumque aliquid juris acquirit homo, ita ut, juxta S. Augustinum, Deum sic compellare queat : *Feci quod jussisti, redde quod promissisti : (in Psalm. 83.)* atqui non potest Deus fieri hominis debitor, nisi promissione aliquâ erga hominem sese obstrinxerit ; ergo, &c.

C A P U T I I I.

De objecto meriti.

OBJECTUM meriti dicitur quidquid sub merito cadit ; quâ de re fit

P R O P O S I T I O I.

Nemo primam gratiam actualem sibi mereri potest, etiam de congruo.

Probatur. Ante primam gratiam actualem, homo ex solis naturæ viribus operatur : atqui nemo potest per solas naturæ vires gratiam mereri ; siquidem omni merito prævium est ipsum gratiæ auxilium, & merâ Dei misericordiâ nobis concessum. Unde natum est illud axioma theologicum : *Principium meriti non cadit sub merito.* Idcirco damnatum fuit illud Pelagii effatum : *Gratia secundum merita datur.*

P R O P O S I T I O I I.

P R O P O S I T I O I I.

Gratia habitualis non cadit sub meritum de condigno ; eam tamen potest homo mereri de congruo.

Probatur prima pars. *Gratia habitualis* ea est quæ hominem justum facit : atqui homo non potest mereri de condigno gratiam quæ ipsi justitiam conferat ; siquidem ad hujusmodi meritum requiruntur ut homo in statu justitiæ jam sit constitutus. Idcirco Concilium Tridentinum docet nos idem gratis justificari, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur ; merito scilicet de condigno. (*Sess. 6. cap. 8. de justificat.*)

Prob. secunda pars. S. Augustinus loquens de Publicano Deum, ut sibi propitijs foret, orante & peccatorem sese confitente, hæc habet : *Ista confessio meruit justificationem, sive gratiam habitualem : (Tract. 44. in Joan.)* atqui illam non potuit Publicanus mereri de condigno, ut modo probavimus ; eam igitur meruit ex congruo.

Præterea ad meritum de congruo, satis est ut opus aliquam sibi bonitatem adjunctam habeat, quæ Deum possit ex quadam congruitate excitare ad beneficium concedendum : atqui actus quibus peccator ad gratiam habitualem seu justificationem sese comparat, aliquid bonitati continent quo Deus flecti, excitarique possit ad gratiam hanc impertiendam ; sunt enim actus boni, ex gratia prodeuntes, Deo placente ; ergo, &c.

P R O P O S I T I O I I I.

Justus de condigno mereri potest incrementum Justitiæ, sive gratiæ habitualis.

Probatur ex Concilio Tridentino : *Si quis dixerit... ipsum justificatum, bonis operibus....*
Tom. V. B b

non verò mereri argumentum gratiæ, ... anathema sit: (*Sess. 6. de justif. can. 32.*) atqui verba hæc verè mereri designant meritum *de condigno*, quod solum est meritum verum & propriè dictum; ergo, &c.

PROPOSITIO IV.

Iustus perseverantiam ad finem usque vitæ mereri non potest de condigno, sed tantum de congruo.

Probatur prima pars. Ad meritum *de condigno* requiritur Dei promissio: atqui nulla in Scripturis exstat promissio divina de conferenda bonis Justorum operibus perseverantia. Quinimò Iusti admonentur ut cum timore in salutis negotium incumbant; *Cum timore & tremore salutem vestram operamini.* (*Phillip. 2. 12.*) *Qui se existimat stare; videat ne cadat.* (*1. Cor. 10. v. 12.*) *Tu autem fides? noli alium sapere, sed time.* (*Rom. 11.*) Incerta est igitur perseverantia, ac proindè nulla est Dei promissio de ea justorum operibus concedenda.

Præterea ex S. Augustino, cur perseverantia huic detur, alteri non detur, mysterium est humanæ rationi inaccessum: atqui non esset huiusmodi, si perseverantia ex meritis concederetur; unde concludit S. Doctor *satis dilucidè ostendi & inchoandi, & usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari; sed dari secundum ipsius secretissimam, eandemque justissimam, sapientissimam, beneficentissimam voluntatem* (*Lib. de dono persever. cap. 13.*)

Prob. secunda pars. Augustinus de perseverantia differens, *Hoc donum, inquit, suppliciter emereri potest.* (*Lib. de dono persever. cap. 6. n. 10. tom. 10. pag. 826.*) Atqui iustus perseverantiæ donum non potest emereri *de condigno*; ergo *de congruo* duntaxat illud mereri valet. Ratio est, quòd divinæ

bonitati congruum videatur, ut Deus iusto quem amat, & à quo redamatur, amicitia suæ conservationem, ideòque perseverantiam non deneget, quam suppliciter & assiduis precibus efflagitat. Dices; Iustus vitam æternam quæ perseverantia est præstantior, *de condigno* meretur; ergo multò magis & perseverantiam.

Resp. Neg. conseq. In his enim tota ratio facti est suprema voluntas facientis; potuit quidem Deus statuere ut iustus perseverantiam, non minis quàm vitam æternam *de condigno* mereretur; sed illud à Deo factum esse pernegamus: ad meritum enim *de condigno* requiritur Dei promissio: atqui Deus perseverantibus promisit quidem vitam æternam, tanquam mercedem: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit;* (*Matth. 10. 22.*) non ita verò Deus perseverantiam iustis pollicitus est: alioqui iustitia semel accepta nunquam amitti posset, cum Deus obligatam fidem violare nequeat.

Ideò autem iustis perseverantiam non promisit Deus, ut eos adversus socordiam & negligentiam cautiore faceret; ut intelligerent propter facta quælibet bona opera, non esse securè quiescendum; sed per indefessam sollicitudinem, per continuam vigilentiam, per assiduas orationes per honorum operum exercitationem non interruptam, salutis suæ allaborandum esse, in iustitiæque semper proficiendum, ut suo exemplo sic admonet Apostolus: *Quæ quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.* (*Phillip. 3. v. 13 & 14.*)

Finis Tomi quinti.